

« Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. »

Hinc discant principes, si velint in principatu esse longævi, illumque in posteros perpetuare, imperare mansuete et humiliter: hoc enim conciliat Deum & homines, juxta illud cap. III, 19: « Fili, in mansuetudine opera tua perface, et super gloriam hominum diligeris. » Vide ibi dicta. Huc allusit, imo hunc versum citavit B. Virgo canens hymnum: *Magnificat anima mea Dominum*; ait enim: « Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. » Ita Deus deposuit de solio imperii Diocletianum, et in ejus locum exaltavit mitem Constantinum; ac arrogantem Eugenium, eique anteposuit humilem Theodosium, qui, ut canit Claudianus, 4 *Honorii Consul.*:

Non insultare jacenti
Malebat, mitis precibus, pietatis abundans,
Penæ parcus erat: paci non intulit iram.
Post acies odiis idem, qui terminus armis.

Alexander Severus audiens a Mammæa matre: « Molliorem tibi potestatem et contemptibiliorem imperii fecisti, tua lenitate et mansuetudine; » respondit: « Imo securiorem, et diuturniorem. »

18. RADICES GENTIUM SUPERBARUM AREFECIT DEUS, ET PLANTAVIT HUMILES EX IPSIS GENTIBUS. — Quod dixit vers. præcedenti de principibus, nunc dicit de integris gentibus, eas, scilicet, a superbia radicitus esse eversas et evulsas, ac earum loco collocatas esse alias mites et humiles. Sicut enim, radice arboris evulsa, arescit et emoritur planta vel arbor: ita dum familiæ (hæ enim sunt gentium radices, e quibus filii, nepotes, et multiplicatio gentis, quasi rami e fibris radicis progeminant) intereunt, interit et gens ex iis conflata. Unde pro *arefecit*, græce est *ἐξέτελεν*, vel *ἐξέτελεν*, id est *evulsit*. Ita Romana, Tigurina et alii. Syrus, *eradicavit*; licet Complutenses legant, *ἐξέτελεν*, id est *absulit*. Rursum Complutenses addunt, *ἐν δόξῃ*, id est *in gloria*; sic enim habent, *et plantavit pro illis in gloria* (in gloriosis regnis, thronis, urbibus et provinciis) *humiles*. Ita septem Chanæorum gentes ob superbiam expulsi ex terra sancta, quæ a Daniele cap. VIII, vers. 13, vocatur hebr. *tsebi*, id est, pulchritudo, decor et gloria totius orbis, ac in ea pro illis collocavit Hebræos, qui inter gentes videbantur esse humillimi, imo fæces et quisquiliæ. Ita rursus Judæos superbos humilem Christum respuentes, in fide, gratia et gloria arefecit Deus, eisque surrogavit Gentiles humiliter se Christo subdentes.

Hujus sententiæ veritatem venustat apologus æris et terræ apud *Cyrenæum*, lib. II *Apolog. moral.* cap. 1, cui titulus, *De bono humilitatis et malo superbiæ*. « Tumefactus aer, inquit, de latitudine corporali, et claritate substantiali, et sublimitate locali, spernendo terram eidem locutus est, dicens: Utquid tu punctum opacum, semper deorsum manes? cur non interdum erigeris? quare non

dilataris? At illa, in patientiæ firmamento humilitate fundata, patienter respondit: Ego quidem, quod asseris, fateor me esse punctum; sed hæc tamen modicitate punctali corporis mundialis effecta medium, in sempiternum quiesco, cum tua tu semper magnitudine fluctes. Circa me totum cælum revolvitur, et vitalisejus influxus super mea stabilitate fundatur. » Deinde læsius humilitatis suæ fructus et dona recenset. « Quoniam opacu sum corpus, non sum effusa uti tu qui pervius es; imo virtutes cælestes retineo, pretiosissimis gemmis et metallis intrinsecus ornata, rivis, herbis, brutis hominibus extrinsecus sum decorata; utpote vita viventium, materque cunctorum, universa quæ in corpore vivunt diversorum honorum plenissimis uberibus alo. Verum, quia sub tus omnia maneo, nulli unquam sum molesta, nisi cum a te mea viscera subintrante terræmotu concutior. Ut vitæ locus, quietis situs, et salutis portus, fixatione perpetua gratis omnibus sum parata. Tu vero situs sursum, cum ad te confluentes vapores atque alta petentes suscipias, hinc densis nubibus dulci lumine viventia privas: hinc lethalia fulmina mandas, et coruscationum rogiferas emitis sagittas, et terribilia tonitrua fundis, et ventorum pondere rumpis, grandinis lapide conteris, procellarum turbine submergis: nimirum emissiones superbiæ tuæ gravissimæ sunt tempestates. Igitur melior est opaca humilitatis modicitas, quam sublimitatis superbiæ perspicuitas procellosa. Quibus dictis arrogantem confudit. »

Mystice, Deus in sanctis et religiosis viris, quos eximie diligit, vitia quælibet, et vitiosos actus et habitus, qui fere ex superbia oriuntur, et in seipsis superbi ac tumidi sunt, usque ad radicem consumit, dum eis gratiam efficacem multiplicat, qua contrarias virtutes, quæ vitii dominantur, inserit, corroborat et amplificat. Unde S. Gregorius XXXIV *Moral.* XVII: « Ut Leviathan iste, inquit, in cunctis quæ superius dicta sunt caderet, sola se superbia percudit; neque enim putat illos vitiorum ramos arescere, nisi per hanc prius in radice putruisset. » Hoc est quod occinit Ezechiel cap. VII, 10: « Ecce dies, ecce venit: egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia, iniquitas surrexit in virga impietatis. » Vide ibi dicta.

19. TERRAS GENTIUM EVERTIT DOMINUS, ET PERDIDIT EAS USQUE AD FUNDAMENTUM. — A gentibus descendit ad terras quas incolebant, atque eas pariter ob superbiam incolarum funditus esse eversas. Alludit ad conflagrationem Sodomæ et Pentapolis per ignem cælestem, quo regiones illæ antea fertilissimæ, factæ sunt sterilissimæ, imo conversæ in lacum Asphaltitem, ac proinde non tantum hominibus, sed et animalibus, piscibus, herbis, fructibus omnibus destitutæ et vacuæ, uti ostendit ex Josepho et aliis *Genes.* XIX. Tigurina, *Dominus evertit loca gentium, easque de terra funditus abolet*. Sed minus recte; non enim agitur de abolitione gentium, sed terrarum sive regionum. Unde græce

est femininum *αἰῶνες*, quod *χώρας*, id est *regiones*, refert, non *ἔθνη*, id est *gentes*; *ἔθνη* enim græce est generis neutri. Syrus tamen de gentibus quoque accipit, sed paraphrastice potius vertit quam verbum verbo, et sententiam sententiæ reddit. Sic enim habet, *calcanea superbiorum subvertit Dominus, et perdidit de terra memoriam eorum*. Sic funditus eversæ sunt potentissimæ urbes, Tyrus de qua *Isaias*, cap. XXIII, Ninive, Babylon, Ecbatana, etc., adeo ut vix earum ruinæ supersint, ac dubitetur quo loco sitæ fuerint.

20. AREFECIT (ita Romana et alii, sed Complut. legunt *ἐξέτελεν*, id est *absulit*) EX IPSIS ET DISPERDIDIT EOS, ET CESSARE FECIT MEMORIAM EORUM A TERRA. — Jansenius sic explicat: Ex ipsis, inquit, terris, quas Deus evertit, exarescere fecit homines, ita ut omnes interirent. Verum *ἐξέτελεν* speciat potius terras quam homines; pertinet enim ad verbum præcedentem: « Terras gentium evertit Dominus, » etc. *q. d.* Ita terras gentium evertit Dominus, ut quasdam ex illis prorsus arefecerit, adeo ut nec hominem, nec vivens aliquid alant. Unde aliqui vertunt, *quasdam ex eis desolavit*. Græcum enim *ἐρημωσας*, id est, sicco, arefacio, ad terram pertinet; unde *ξηρὰ* vocatur terra arida. Nam alludit ad concretionem Sodomæ, qua ita Pentapolis arefacta est, ut videatur versa in cinerem et favillam, ut dixi *Genes.* XIX. Unde de incolis subdit, « disperdidit eos, » Græce *αἰῶνες*, masculinæ, puta incolas; nam vers. præced. cum de terris ageret, dixit *αἰῶνες*, feminine. Sensus ergo est, *q. d.* Deus ex terris superbiorum nonnullas, uti Pentapolim, ita arefecit, ut incolas Pentapolitas cum omnibus animalibus et plantis ex ea disperdiderit, eorumque memoriam cessare fecerit, imo eorum memoriam converterit in æternam ignominiam et infamiam. Syrus, *perdidit eos, et eradicavit eos, et subvertit eos, et delevit ab hominibus memoriam eorum*.

21. MEMORIAM SUPERBORUM PERDIDIT DEUS, ET RELIQUIT MEMORIAM HUMILIUM SENSU. — « SENSU, » id est mente et spiritu, qui scilicet in mente humiliter de se sentiunt, sequè totos humiliant et prosternunt sub potenti manu Dei. « Memoriam » intellige cum honore et laude conjunctam, celebrem, illustrem; hanc enim soli consequuntur humiles et sancti: alioqui gigantes, Sodomitæ alique superbi sunt in memoria, sed ignominiosa et intami. Hic versus jam deest in Græco et Syro; olim tamen exstitisse liquet ex S. Fabiano, *epist.* 2, qui illum citat. Hoc est quod ait Psaltes, *Psal.* CXI, vers. 6: « In memoria æterna erit justus, » uti videmus fieri in sanctis Apostolis, Confessoribus, Virginibus, Martyribus, quorum memoriam festo honoramus.

Audi humilitatis officia, quæ reges et regna faciunt longæva et felicia, ex S. Augustino, lib. V *De Civitate*, cap. XXIV: « Felices, inquit, eos dicimus si juste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, et obsequia nimis humiliter salu-

tantium, non extolluntur, sed se homines esse meminerunt; si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciunt; si Deum viment, diligunt, et amant; si plus amant illud regnum ubi non timent habere consortes, ac se tardius vindicant, facile ignoscunt; si eandem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque Reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis, exerunt; si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, et beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto eis est castigatio, quanto posset esse liberior; si malunt cupiditatibus pravis, quam quibuslibet gentibus imperare. »

22. NON EST CREATA HOMINIBUS SUPERBIA. — ERROR et excusatio superbiorum est, quod censeant dicantque superbiam esse magnanimitatem concreatam homini, eique a natura insitam et ingentam, tum ut se contra invadentes defendat, tum ut ad magna aspiret; ideoque humilitatem esse vitium naturæ tendens ad ejus depressionem, noxam et interitum: quocirca humilitas apud Gentiles fuit in vitio et vituperio, ideoque exosa, imo incognita.

Refellit hoc Siracides, dicens non esse creatam hominibus superbiam, quod *primo*, sic accipi potest, *q. d.* Superbia non est hominibus concreata et congenita, superbia non est hominibus a natura insita, vel a Creatore indita, sed aliunde, puta a dæmone ascita, et per peccatum homini impressa; superbia ergo non est homini naturalis, sed potius naturæ vitium; ortum enim habuit a natura, non sana et integra, sed per vitium corrupta; Deus enim creavit Adamum rectum et humilem. Ita Rabanus: « Vitia, inquit, non sunt creata in hominibus, sed perversa voluntate rationabilis animi reperta. Initium enim superbiæ homines apostatare a Deo fecit: quoniam ab eo qui fecit eum, recessit cor ejus. » Et S. Antiochus, *homil.* 44: « Non est concreata, inquit, homini superbia; non enim naturalis est superbia, sed contumacissimi dæmonis simulacrum. » Ita et Glossa, Hugo, Jansenius, Dionysius Palacius et alii.

Secundo et magis apposite, *q. d.* Superbia non est pro hominibus creata, sed pro feris et belluis. Natura enim insevit leoni, tigridi, pardo, etc., animos ingentes et superbos, quia feræ sunt: at homini, qui homo et humanus est, insevit potius modestiam, æquitatem, mansuetudinem, et humilitatem. Unde Syrus vertit, *non est divisa* (id est, ut portio assignata) *superbia hominibus, et elatio cordis filiis mulierum, q. d.* Superbia non est pars et sors hominum, sed ferarum vel dæmonum, ut belluini sint qui eam assumunt; quod enim in belluis est natura, et cum natura inditum, hoc in hominibus est vitium, et peccati effectus. Hinc animalis pars hominis, in qua residet concupiscentia et superbia, nobis est cum feris et bestiis

communis, imo generice eadem; sed in homine parti rationali, quasi dominæ, subditur, qua carent bestiae. Rursum in statu innocentiae plane supprimebatur a justitia originali, quam per peccatum perdidimus, eaque perdita, ex parte animali recevit concupiscentia et superbia: crevit ergo ex peccato. Si tamen homo conditus fuisset in statu purae naturae, tunc concupiscentia superbiae fuisset ei naturalis, non quidem ut bonum aliquod naturae, sed ut defectus, et quasi morbus quidam naturae, ex conditione materiae consequens. Vide Bellarminum, lib. V *De Amissione gratiae*, cap. xv. Audi et S. Augustinum, qui lib. II *De Peccato origin.* cap. iv, loquens de concupiscentia, cujus reatum dicit esse originale peccatum, ut patet ex capitibus sex praecedentibus, sic ait: «Comparatur homo pecoribus per vitium, non per naturam; non pecoris vitio, sed naturae. Tanta namque excellentiae est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris.» Idem, lib. IV *Adversus Julian.* cap. v: «Haec autem libido, inquit, ideo malum non est in beluis, quoniam non repugnat rationi qua carent;» et cap. xiv: «Ideo, inquit, in pecoribus malum non est concupiscentia, quia non adversus spiritum concupiscit, sed eorum potius oblectat spiritum.» Et in *Psal.* cur, concione 4: «Quod equo, inquit, natura est, homini crimen est.»

NEQUE IRACUNDIA (Graece, *neque ira furoris*, id est, *ira furibunda*) NATIONI MULIERUM. — Tigurina, *progeniei mulierum*. Putant aliqui haec dici de mulieribus *q. d.* Sicut superbia est vitium virorum, ita iracundia mulierum; nam mulieres solent esse iracundae, at haec iracundia non est eis ingenta a natura, sed ex peccato et vitio naturae ascita. Ita Palacius, qui et rationem addit: «Nam illi irasci convenit, inquit, cui convenit posse sumere de hoste vindictam: at id femina minime potest. Nata est enim femina ut obediat, non ut ira ex-candescat. Mulier fortis fusum apprehendat, non arma. Molle corpus illi natura dedit; cur falso vult sub molli corpore durum gerere cor? Verba illi natura dedit suavia et blanda, quibus corda virorum demulceat, non quibus flammam evomat.»

Verum potius haec dicuntur de hominibus a muliere geniti; *natio enim mulierum*, Graece *γέννημα*, sunt filii a mulieribus geniti, ut vertit Syrus et alii; *γέννημα* enim est fetus, germen, progenies,

editum vel enatum, a *γεννέω*, id est genero, gigno, produco. Adde, Graece est *γεννημοί*, in plurali, id est *generationibus*, puta prolibus generatis a muliere. Jungit iracundiam superbiae, quasi filiam matri, *q. d.* Superbia, et ex ea fluens iracundia, non est creata ex natura hominum, nec pro natura hominum, sed per *dæmonem* et peccatum inducta; homines enim cum ex muliere fragili et infirma gignantur, potius occasionem habent magnae humilitatis et mansuetudinis, quam irae et superbiae. Porro Rabanus: «Bene dicitur, inquit, iracundiam nationi mulierum non esse creatam, quia per mollitiem animi, quam sexus muliebris denotat, iracundiae vitium surgit; quod tamen per constantiae virtutem superatur et opprimitur.» Mollities enim et infirmitas, quia ad tolerandum invalida, hinc cum occurrunt adversa et tristitia, illico fit impatiens et irascitur. Constantia vero roborque animi, quia ad tolerandum valet, hinc in adversis patiens est, et placida. Verum, cum infirmitas, infirmaque mulier, et muliere natus, considerant penitus seipsos, ponunt iras et animas. Potentum enim est, irasci; infirmorum et miserorum, gemere et precari. Audi Job cap. xiv, 1: «Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in iudicium.» *q. d.* Homo undique miseriis obrutus, est objectum misericordiae, non iudicii et irae; quare indignum est eum superbire et irasci, dignum vero misericordiam Dei et hominum implorare. Ex muliere enim, puta ex matre Eva, trahit hoc ærumnarum pelagus. Igitur sicut pavo caudam explicans, syrmaque suum tot plumis ocellatum pictumque intuens; turgescit; sed dum oculos ad pedes deformes reflectit, detumescit, syrmaque contrahit: sic tu, o homo, qui dotibus animi et corporis superbis, intueri pedes tuae vilitatis et miseriae, ut ex illa discas humiliari, ex hac gemere et obsecrare. Pavo caudam suam explicat et ostentat, cum plurimos habet suae pompae spectatores, teste Plinio, lib. XX, cap. xx. Tu Deum et Angelos universos tuae vilitatis aequae ac humilitatis habes spectatores. Illis ergo gratum hoc spectaculum exhibe.

TERTIA PARS CAPITIS,

QUA DOCET VERUM HONOREM CONSISTERE NON IN FASTU, SED IN TIMORE DEI.

23. SEMEN HOMINUM HONORABITUR HOC, QUOD TIMET DEUM. SEMEN AUTEM HOC EXHONORABITUR (dehonestabitur), QUOD PRÆTERIT MANDATA DOMINI. — Congrua a superbia transit ad timorem Dei, huncque illi per

antithesin opponit; sicut enim initium omnis peccati est superbia, sic timor Dei initium est sapientiae, id est humilitatis omnisque virtutis. Porro superbi se per superbiam extollunt hoc fine, ut honoren-

tur, ne, si se humiliant, despiciantur. Haec est superbia radix. Hic ergo oppositum docet Siracides, itaque mali, puta superbiae, radicem succidit, *q. d.* Verus honor apud Deum et homines consistit, non in fastu et ostentatione sui, sed in timore Dei: quare timens Deum honorabitur; qui autem non dicit Deum, sed superbe transgrediuntur mandata Dei, hi despiciuntur et confunduntur, tam in hac vita, tum magis in futura; Deus enim superbos humiliat, humiles exaltat. Vera ergo gloria hominis est timor Dei et humilitas, quia per haec ex homine, imo fera vel dæmone, fit Angelus, homo divinus, et quasi Deus quidam terrestri similis Christo Dei Filio, ideoque summe honorandus. Timor enim Dei dat homini esse divinum, quod longe superat omne esse naturale; quocirca timens Deum nobilior et celsior est non tantum quovis rege et principe, sed et quovis angelo, si sola ejus natura angelica spectetur. Timens enim Deum est filius et haeres Dei, eoque fruetur in aeternum.

Sententia haec copiosior est in Graeco: sic enim habent Graeca Romana, *semen honoratum quale? semen hominis. Semen honoratum quale? ii qui timent Dominum? Semen inhonoratum quale, semen hominis. Semen inhonoratum quale? qui praetereunt mandata. Complutenses vero sic, semen securitatis, qui timent Dominum; et honorata plantatio (vel pretiosa planta), qui diligunt illum. Semen ignominiae, qui non attendunt legi; semen erroris, qui transgrediuntur mandata. Tigurina, est semen honorificum, qui Dominum reverentur; est semen infame, qui praeccepta violant. Semen stabile (Vatablus, fidum vel tutum) sunt qui reverentur Dominum, et honesta planta qui eundem diligunt. Semen infame sunt qui legem negligunt, et semen fallax (vel vanum), qui praeccepta violant. Syrus, semen pretiosum (vel etiam onerosum et grave), quod seminatam est homini; semen pretiosum, ille qui timet Dominum; semen pretiosum ille qui custodit mandatum. Semen contemptibile (vel etiam illecebrosum), voluptuosum, quod seminatam est homini. Semen contemptibile, ille qui non facit mandatum. Quae omnia magnifica sunt elogia timoris et timentis Deum. Ex dictis liquet verum hominis honorem, dignitatem et nobilitatem consistere in timore Dei, ut is sit dignior et nobilior in conspectu Dei et Angelorum, qui magis timet, colit, amat et reveretur Deum.*

Haec nobilitate nobilis et illustris fuit Noe, quem proinde ita celebrat Scriptura *Genes.* vi, 9: «Haec sunt generationes Noe: Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis.» Causam dat ibidem S. Ambrosius, lib. *De Arca et Noe* cap. iv: «Noe, inquit, non genere, sed justitia laudatur; probati enim viri genus, virtutis prosapia est; quia sicut hominum genus homines, ita et animalium genus, virtutes sunt.» Hinc et «cum Deo ambulavit,» quasi aequalis cum aequali, amicus cum amico. Quae nobilitas posset esse major? plura haec de re dixi *Genes.* vi, 9. Sic et Plato,

Cicero, Aristoteles veram nobilitatem constituerunt non in sanguine, sed in virtute, uti alibi ostendi. Hinc et Sancti in honore praelati fuere regibus. Sic Pharaon supplex fuit Mosi, ut plagas Aegypti sisteret. Dixerat enim illi Deus: «Ecce constitui te Deum Pharaonis, *Exod.* cap. vii, 1. Sic Josue, cap. x, non tantum regibus terrae, sed et caelis imperavit sistendo solem et lunam. Sic Achab reveritus est Eliam, Joram Eliseum, Jeroboam Ahiam, Ezechias Isaiam, Nabuchodonosor Jeremiam, Darius Danielelem, Alexander Jaddum Pontificem, Antiochus Oniam, Constantinus Antonium, Valens Basilium, Arcadius Chrysostomum, Constantius Athanasium, etc. Et quis nescit sanctos Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines honore plus quam humano coli a regibus et imperatoribus?

24. IN MEDIO FRATRUM RECTOR ILLORUM IN HONORE: ET QUI TIMENT DOMINUM, ERUNT IN OCVLIS ILLIUS. — Non rectoris, *q. d.* Rector peculiarem curam habebit timentium Dominum, ut explicat Dionysius et Palacius, sed Domini. Rursum repetit *in honore q. d.* Sicut in honore apud fratres est primogenitus, quasi caput et rector caeterorum; item sicut honoratur a cœtu vel congregatione unanimiter instar fratrum viventium rector vel praepositus, tanquam vicarius Dei, representans divinam majestatem mundi gubernatricem, juxta illud: «Ego dixi: Dii estis,» *Psal.* lxxxix, 6: sic pariter, imo magis, in honore sunt in oculis Dei, hoc est apud Deum, illi qui timent Dominum. Comparat enim timentes Dominum cum rectore, quod sicut hic a subditis hominibus, sic ille a Deo honoretur. Quo significat timorem Dei majorem esse honorem, quam sit rectoratus, quia timor hic magis honoratos efficit timentes Deum quam rectoratus: summus enim honor est honorari apud Deum, imo a Deo. Hunc esse sensum patet ex sequentibus antithesibus, quibus pari modo cum aliis rebus comparat, iisque praefert timorem Dei; et ex versione Syri, quae sic habet, *inter fratres natu grandior honorabilis est; et qui timet dominum, honorabilis est praeter illo; et Tigurinae, quae sic habet, inter fratres qui praestant ipsis, honore excellit: at praeter ipso qui reverentur Dominum.*

Audi quae de rectore et rectrice sancit S. Augustinus *epist.* 109, ubi sanctimonialibus regulam vitae praescribit: «Praeposita tanquam matri obediatur, honore servato, ne in illa offendatur Deus; multo magis presbytero qui omnium vestrum curam gerit.» Et mox: «Ipsa vero non se existim et potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Honore coram hominibus praelata sit vobis, coram Deo substrata sit pedibus vestris. Circa omnes seipsam honorum operum praebet exemplum; corripit inquietas, consolatur pusillanimes, suscipiat infirmas, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metuens imponat. Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus a vobis amari appetat, quam timeri,

semper cogitans Deo se pro vobis reddituram esse rationem. Unde magis obediendo non solum vestri, verum etiam ipsius miseremini, quæ inter vos quanto in loco superiore, tanto in periculo majori versatur. Et paulo ante: «Quando autem necessitas disciplinæ minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur ut ab eis veniam postuletis, ne apud eas quas oportet esse subjectas, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas; sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eas, quas plus justo forte corripitis, quanta benevolentia diligatis.»

Post hunc versum Complutenses addunt alium, nimirum: *πρὸ δόξης, ἀρχῆς, φόβος Κυρίου, ἐκβολὴ δὲ ἀρχῆς σκληροῦς καὶ ὑπερηφανία*, id est, ante finem, initium, timor Domini; abjectio autem principatus, obduratio et superbia. Vel, ut clarius vertit Tigurina, quæ pro ἀρχῆς legit ἀρχῆς, ne deficiat imperium, obstat religio Domini; duritia vero et superbia imperium amittitur, q. d. Principes pii sua pietate et religione confirmant et perpetuant imperium (uti promissum et præstitum Austriacæ domui conspiciamus); impii vero et superbi sua impietate et superbia abbreviant et disperdunt. Viri docti probabiliter suspiciantur vice *πρὸ δόξης* legendum *προλήψεως*; unde sic vertunt, amplificationis principium est timor Domini, ejectio autem principatus est obduratio et superbia, q. d. Timor Domini est causa amplificationis principatus; ex adverso obduratio et superbia est causa cur princeps ejiciatur e principatu.

25. GLORIA DIVITUM, HONORATORUM, ET PAUPERUM, TIMOR DEI EST. — Pro gloria Græce est, *καύχημα*, id est gloriatio. Sensus ergo est, q. d. Gloriandum est tam diviti quam pauperi, tam honorato quam plebeio, non in divitiis, nec in arte qua quis excellit, sed in timore Dei: hic enim si adsit, supplet et præstat omnia; si desit, frustra adsunt cætera omnia. Unde Tigurina vertit, *tam divitis et honorati, quam pauperis decus est, religio Domini*; Syrus, *peregrinus extraneus qui pauper est, et angustiat sibi, gloria ejus in timore Dei, q. d. Peregrinus et pauper non dejiciat animum, nec angustietur ob suam paupertatem, et quod peregre degat; sed potius gloriatur quod timeat Deum: timor enim Dei conciliabit ei Deum, qui opes sufficientes, custodiam et directionem per quaslibet gentes et vias ei præstabit. Alludit ad Jerem. ix, 23: «Non gloriatur sapiens in sapientia sua, et non gloriatur fortis in fortitudine sua, et non gloriatur dives in divitiis suis; sed in hoc gloriatur qui gloriatur, scire et nosse me.» Vide ibi dicta.*

26. NON DESPICERE (CORRIGE CUM ROMANIS, NOLI DESPICERE) HOMINEM JUSTUM PAUPEREM, ET NOLI MAGNIFICARE VIRUM PECCATOREM DIVITEM. — Græce, *ut pauperem cordatum non est æquum ignominia afficere, ita virum divitem scelerosum honorari non con-*

venit. Ita Tigurina. Syrus, *non est cur ignominia afficiat pauperem justum, neque cur honores divitem iniquum.* Edeicit hanc sententiam quasi conclusionem ex præcedenti: «Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est;» inde enim sequitur eos qui præditi sunt timore Dei, ideoque sunt justus, esse honorandos, licet sint pauperes; eos vero qui illo carent, non esse magnificandos, esto sint divites: sicut enim vero honore dignum non faciunt opes, sed justitia et virtus: sic contemptu et dedecore dignum non facit paupertas, sed iniquitas. Huc aliudens S. Jacobus cap. ii, vers. 3, graviter insectatur personarum acceptionem, qua dives præponitur pauperi. Si enim diviti dixeritis, inquit: «Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum; nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis iudices cogitationum iniquarum?» Vide ibi dicta.

Præclare S. Paulinus, epist. ad Alethium, qui fuit maritus Rufinæ, filiæ S. Paulæ, eaque defuncta opes mundumque contemnens se totum Deo dicavit: «Vide, inquit, rationem, facile iudicabis parricidali crimine contemni pauperes nostro arbitrio, quos nullo videmus a nobis Dei opere discretos. Quomodo enim excludamus a nostris modicæ habitationibus, *καὶ οὐκ* Deus una nobiscum istius mundi conclusit domo? quomodo dedignemur terrenæ possessionis usu facere participes, quos et in una divinæ originis unitate consortes habemus?» Et superius laudans voluntariam ejus paupertatem Evangelicam, quam et ipse Paulinus profitebatur: «Tibi, inquit, frater in Christo unanime, cui sub hac pena metus, et cum illa sede communitas, cujus os benedictione plenum est, cujus divitiæ ubera pauperum sunt, cujus domus hospitium Christi est, qui non jacere mendicum ante januam tuam epulante te sustines, sed contra tectis tuis lætus inducis, aut tecum epulaturum, aut etiam jejunante te saturandum. Tibi felix a peccatis egestas, et beatæ in virtutibus opes sunt. Tu et inter illos pauperes jure numeraberis, quorum est regnum cælorum; et inter illos divites, quorum possessio civitas firma est; quia spiritu Dei dives es, et tuo pauper.» Et S. Chrysostomus, homil. 18 in epist. ad Hebr.: «Nihil, ait, opulentius eo qui paupertatem sponte diligit, et eam alacriter suscipit.» Fides enim et pietas opes fideliæ *καὶ* docet S. Augustinus, lib. I De Civit. cap. x.

Ex adverso Epictetus apud Stobæum, serm. 2: «Sicut, ait, viperam aut aspidem in eburneo aureoque serinio inspiciens, non propter materiæ pretium ipsa diligis, aut magni facis tanquam felicia animalia, sed potius propter naturam ipsorum exitialem vim abhorres ac detestaris: sic etiam in divitiis et fastu fortunæ natalium videns inesse, non ad materiæ splendorem obstupescere, sed morum pravitatem contemne.»

27. MAGNUS, ET JUDEX, ET POTENS EST IN HONORE:

ET NON EST MAJOR ILLO QUI TIMET DEUM. — «et,» id est ac, *σεῦ*, q. d. Magnates, iudices et potentes sunt in honore, et magni apud homines; at non sunt majores timente Deum, quia timor Dei super omnia se superposuit, ut audiemus cap. xxv, 14. Unde Græca habet *μεγίστους*, id est magnates, iudices et dynastæ nonorabuntur, et non est aliquis eorum major timente Dominum. Aliqui legunt in singulari *μεγίστον*, quod noster Interpres vertere solet *magnas*. Unde Cardin. Sirletus, teste Francisco Luca in Notis ad hunc locum, censuit pro *magnus* legendum *magnas*. Porro varia est hic codicum Latinorum lectio. Plerique enim legunt, *magnus est dies, et judea, et potens in honore*; sed pro est legendum et: ita legunt Romani codices, idque exigunt Græci et Syri. Unde Tigurina vertit, *proceres, rectores et potentes floreat honoribus; attamen nemo eorum reverente Dominum major est.*

28. SERVO SENSATO (Græce *συνετός*, id est prudenti, sapienti, intelligenti) LIBERI SERVIENT: ET VIR PRUDENS ET DISCIPLINATUS NON MURMURABIT CORREPTUS, ET INSCIUS NON HONORABITUR. — Est sententia hæc in Latino trimembris, in Græco ex more bimembris; in eo enim tertium membrum deest, æque ac in Syro, qui sic habet, *servo sapienti liberi servient, et vir sapiens cum corripitur non fremet.* Quare Jansenius more suo censet, tertium membrum additum ab Interprete Latino explicationis gratia. Verum sic non haberet auctoritatem canonicam S. Scripturæ, quod repugnat Concilio Tridentino, sess. IV, præsertim quia illud proprium habet sensum, imo antithesin cum duobus membris præcedentibus: quare explicationis gratia additum dici nequit. Sic ergo tria hæc membra inter se connecto, applico et explico. Sensus, id est, prudentia et sapientia, adeo præstans est dos, ut etiam servos non tantum liberos, sed et dominos ac rectores efficiat, adeo ut *ἐλεύθεροι*, id est, homines liberi, ei serviant, imo servire et obedire gaudeant: quocirca etiam cum ab eo corripientur, non ægre ferent: quia «vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus,» Græce *παιδευόμενος*, id est, cum instruitur, eruditur, arguitur, corripitur; sed potius sensato se corripienti gratias agat, quod maculam hanc et nævum non vesti, nec faciei, sed moribus et animæ inhaerentem, eamque turbantem aperuerit, correxerit, emacularit. Sequitur tertium membrum: «et inscius non honorabitur.» *Inscium* sive indoctum vocat imprudentem, indisciplinatum, insensatum, qui indignus est honore, id est, functione honorata. Opponit enim eum servo sensato, cui liberi serviant, q. d. Sensatus, etsi servus sit, dignus est qui alios regat, et cui cæteri serviant: at insensatus, esto dives et nobilis, indignus est qui alios regat, cum ipse potius quasi cæcus regi ducique debeat. Ita Palacius. Unde Tigurina vertit: *Necque enim honoribus afficietur imperitus. Secundo, Lyranus tertium hoc membrum connectit cum se-*

cundo, quasi ejus sit antithesis, q. d. Vir prudens, ideoque laude et honore dignus, est qui correptus non murmurat, sed erratum corrigit; at inscius ac imprudens, qui non sustinet se, etiam dum male agit, moneri et corripi, indignus est honore; unde non honorari, sed ut insipiens et arrogans despici et contemni solet.

Primo membro alludit ad Proverb. x, 14: «Filius eruditus sapiens erit, imprudente autem ministro utetur.» Hoc enim re idem est cum eo: «Servo sensato liberi» minus sapientes, ideoque imprudentes, «servient.» Causam dat Seneca lib. III De Benefic.: «Si quis existimat, inquit, servitutem in totum hominem descendere, fallitur; pars ejus melior est excepta: corpora obnoxia sunt, et ascripta dominis: mens quidem sui juris est.» Rursum qui bene servit, dignus est qui regat; ideoque bene servire, egregia est dispositio ad bene regendum. Unde Plato, et ex eo Plutarchus in Reipubl. gerendæ præceptis: «Qui ante non serviverunt, inquit, dominari recte non possunt;» et Aristoteles, lib. VII Politic.: «Necesse est, ait, futurum principem, subditum fuisse.» Nam, ut ait S. Augustinus, lib. XIX De Civitate, cap. xv: «Sicut prodest humilitas servientibus, sic nocet superbia dominantibus.» Unde fidelibus et sanctis servitus est libera, imo libertas: nam, ut idem ait in Psal. cxix: «Libera servitus est apud Dominum, ubi non necessitas, sed charitas servit. Servum te charitas faciat, quia liberum te veritas fecit.» Sic et Ambrosiaster in illud I Cor. vii, 22: «Qui in Domino vocatus est servus, libertus est Domini;» ereptus enim a peccatis, inquit, quæ vere servos probant, libertus fit. Hic enim omnino servus est, qui imprudenter agit; sicut et veteribus placuit, qui omnes sapientes liberos appellarunt, imprudentes servos. Unde Salomon: «Servo, inquit, sapienti liberi servient.» Quocirca Diogenes, teste Laetio lib. VI, bello captus, et in servum venditus, cum ab hero audiret: «Vide ut jussis meis obtemperes;» respondit, *ἀνο παραμύθη*, id est, sursum flumina. Si medicum emisses æger, nonne illi obtemperares? multo magis decet herum animo ægrum, auscultare servæ philosophiæ perito, q. d. Virum sapientem, qualis ego sum, homini insipienti, qualis es tu, inservire, res est præpostera, et contra naturam, velut si quis contra cursum fluminis contendat. Idem Diogenes rogatus a præcone, quo titulo licitari vellet, respondit: «Novi hominibus liberis imperare;» quia, ut ait Siracides, «servo sensato liberi servient.» Tò enim *liberi* hic non significat filios, sed libertate gaudentes: hi enim græce vocantur *ἐλεύθεροι*. Ita Josepho a fratribus in servum vendito, ob sapientiam et futurorum prænotionem, servivit libera Ægyptus. Hinc et veteres, si quem servum nacti essent sapientia et prudentia pollentem, præficiabant filiis, totique familiæ, adeoque, si filii deessent, eum adoptabant, et hæredem instituebant. Quod etiamnum faciunt

Turcæ, ut superius dixi, juxta illud *Prov.* xvii, vers. 2: « Servus sapiens dominabitur filiis stultis, et inter fratres hæreditatem dividet. »

Ita Daniel ob sapientiam, captivus licet et servus, cum tribus sociis, Anania, Azaria et Misaele, a Dario et Nabuchodonosore præpositus fuit omnibus provinciis Babylonis, *Daniel.* ii, 49. Hic verum est illud Horatii lib. I, *epist.* 1:

Ad summam, sapiens uno minor est Jove: dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Ita Servius Tullius e serva (unde et Servius appellatus) matre, puta Ocrisia, Tanaquilis reginæ, uxoris Tarquinii Prisci, ancilla natus, creatus est rex Romanorum, ac Tarquinio in regno successit, teste Plinio lib. XXXV, cap. xvii, qui multos Romanorum servos libertate donatos recenset, qui ad regimen magnasque dignitates evaserunt, ut Chrysogonum Syllæ, Amphionem Q. Catuli, Heronem L. Luculli, Demetrium Pompeii, Hipparchum M. Antonii. Talis quoque apud Claudium Imperatorem fuit Pallas, ejusque frater Felix ex servo creatus præses Syriæ, coram quo S. Paulus a Judæis accusatus causam suam egit, *Actor.* xxiv, 3. In his locum habet proverbium: « De remo ad regnum, de coma (servi enim comam alebant) ad coronam, de furea ad sceptrum; » servi enim collo furcam gestabant, unde fureiferi dicebantur. Diogenes, teste Laertio lib. VI, cum emptus a Xenia, ei serviret, ac amici agerent de eo liberando: « Nequaquam, inquit; an nescitis leones non iis servire a quibus aluntur, sed altores potius servire leonibus? nam leo ubicumque est, semper leo est. »

Præclare S. Augustinus, lib. IV *De Civit.* cap. iii: « bonus, inquit, etiamsi serviat, liber est: malus autem, etiamsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed, quod gravius est, tot dominorum quot vitiorum. » Vide eundem in *Psal.* LXXXIV et LXXXIX, et S. Ambrosium, lib. III, *epist.* 7 ad *Simplic.*: « Joseph, inquit, venditus in servitutem est, et electus est ad potestatem, ut suis emptoribus imperaret. Unde pulchre Psalmista ait *Psal.* civ: In servum venundatus est Joseph, humiliaverunt in compedibus pedes ejus, non animam ejus. Quomodo enim humiliata est anima, de qua dicit: Ferrum pertransit animam ejus? Nam cum aliorum animas peccatum transeat (ferrum enim peccatum est, quod est penetrabile), sancti anima non patuit peccato, ut magis peccatum ipsa penetraret. In servum venundatus est, non servus factus. Quomodo hic servus, qui eruditus princeps populi in illa frumentaria dispensatione? aut quomodo servus, qui totam terram acquisivit, et universum populum Ægyptiorum in servitutem redegit? Denique famulo sapienti multum, ut scriptum est, serviunt liberi; et est servus intelligens, qui regat dominos stultos. Sola est sapientia libera, quæ divitiis pauperes præficit, et quæ servos propriis fenerari dominis

facit, fenerari non pecuniam, sed intellectum. » Ratio ergo a priori cur « servo sensato serviant liberi, » est, quod sensorum et sapientum sit regere, insensatorum vero et insipientum sit regi. Si ergo servus sit sensatus, herus insensatus, utique omnino congruum et æquum est illum regere, hunc regi.

Secundo membro significat, sapientis esse facile et libenter admittere monitores, ac monitionem, instructionem, correctionem. Novit enim neminem tam esse sapientem, qui in omnibus sapiat, qui nusquam erret, qui cuncta sciat; ac præsertim novit quemque in rebus propriis ob philautiam facile decipi et cæcutire, ac proinde melius judicare externos de nobis ipsis. Unde Palaicius: Si juste argueris, inquit, gratias ago: si injuste, bonum animum arguentis lauda; malum, aut ride, aut sustine. Ita S. Petrus, licet superior, correptus a S. Paulo, non obmurmuravit, sed modeste acquievit, ut ostendi *Galat.* ii, 14. Idem a Christo reprehensus vocatusque Satan, et insimulatus quod esset modicæ fidei, humiliter sustinuit, *Matth.* xvi, 23 et xiv, 31. Alludit ad *Proverb.* ix, 8: « Noli arguere derisorem, ne oderit te; argue sapientem, et diligit te; » quia, ut ibidem ait Hugo, « in hoc est quilibet sapiens, si agnoscat suam insipientiam. » Unde S. Bernardus ait: « Domine, tu scis insipientiam meam, quia scilicet in hoc sapiens sum, quod et ipse ego eam scio. » Notanda est sententia *Proverb.* xv, 32: « Qui abjicit disciplinam, despiciat animam suam; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis; » et cap. xxix, 1: « Viro, qui correptionem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus; » et vers. 15: « Virga atque correptio tribuit sapientiam. »

Quocirca S. Augustinus, *epist.* 19 ad S. Hieronymum ita scribit: « Identidem rogo, ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus esse perspexeris. Quanquam enim episcopatus presbyterio (erat enim S. Augustinus Episcopus, sed presbyter S. Hieronymus) major est, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est; licet etiam a minore quolibet non sit refugienda vel dedignanda correctio. » Qua in re memorabile exemplum dedit S. Carolus Borromæus, qui mire expetebat ut quilibet eum de suis defectibus admoneret et corripere, dicitans sibi id in optatis esse seque a monitore ingens recipere beneficium. Qua de causa in familia duos alebat sacerdotes graves, quibus id officii dederat, ut in omnes actiones suas invigilarent, et sicubi erraret, libere et fideliter admonerent. Ita habet Vita ejus lib. VIII, cap. xvi. Celebre est illud Hesiodi:

Omnia qui per se prævidet, optimus est;
Proximus ille tamen, qui paret recta monenti;
Sed qui nec sapit ipse, nec audit recta monentem,
Invida ei mentem misero natura negavit.

Et illud Philonis, juniores et inexpertos debere

imitari cælos. Sicut enim hi, quia sunt rationis expertes, ab astante intelligentia reguntur, et ordinatissime moventur: sic pariter illos a senibus et expertis regi ducique oportero.

29 NOLI EXTOLLERE TE IN FACIENDO OPERE TUO, ET NOLI CUNCTARI IN TEMPORIS ANGSTIÆ. — Græce, μή σοφίζου ποιῆσαι τὸ ἔργον σου, καὶ μὴ δοξάζου ἐν καιρῷ στενοχωρίας σου. Quod varie a variis vertitur. Primo, Interpres Complutens. sic, ne velis videri sapiens in faciendo opus tuum, et ne extollas te in tempore angustiae tuæ; alii, ne operis quod facis artem ostentato, neve in tempore angustiae tuæ te efferto, aut gloriosus esto. Secundo, Vatablus, ne vafre, aut fraudulenter opus tuum agas, nec tempore difficili affectes gloriam. Tertio, et magis genuine Romana, noli excusando cunctari in faciendo opere tuo, et noli te extollere in tempore angustiae tuæ; Syrus, ne piger sis ad faciendum opus tuum, et ne fias molestus in tempore egestatis tuæ, q. d. Esto sedulus in operando, ne, si sis piger, incidas in egestatem, et cogaris mendicare, aliisque esse molestus. Tigurina clare et germane: Ne causas neelas quo minus agas opus tuum, nec te per superbiam pudeat ipsius tempore difficili. Idem voluit noster Interpres, qui tamen priori loco legit δοξάζου, unde vertit extollere: posteriori σοφίζου, unde vertit cunctari: σοφίζομαι enim tria significat. Primo, sapere, et velle videri sapientem, ac sapientiam artemve suam ostentare; quod secutus est Complutens.; secundo, sophisticæ, id est vafre aut fraudulenter, agere: quod sequuntur Romana, Syrus et Tigurina. Sensus ergo est, q. d. Noli extollere te ac gloriari de tua nobilitate, prosapia, dignitate, statu, quasi eo indignum sit laborare manibus, nec sophisticas has excusationes obtendas inertiae tuæ, ut in die angustiae et egestatis cuncteris, et tardus sis ad laborandum, et tuæ tuorumque necessitati providendum: quia gloriatio tua inanis est, nec ventrem tuum satiabit, sed mentem vanitate et superbia implebit. Unde sequitur: « Melior est enim, » etc., ut habent Græca.

Aliter Rabanus: « Prohibet, inquit, ne quis pro bona operatione se jactitet, quia omnis arrogantia abominatio est apud Deum; et ne quis in adversitatibus a bono opere cesset, quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem: spes autem non confundit. » Sic et Lyranus: « Noli, ait, te extollere, quia quidquid tibi est boni, totum est a Deo. »

Hanc gnomen apposito arundinis cum canna saccharacea contententis apologo representat Cyrillus lib. II *Apologorum*, cap. xiv, cui titulus, *Contra eos, qui cito adepti raptam altitudinem, gloriantur spernentes humiles*: « Canna arundinea, inquit, juxta cannam velleam oriens, eamdem brevi transcendens, altitudinem tumens: Canna mellis, quantum temporis habes? Cui illa respondit: Duos vite annos. Tunc ipsa velocius altum rapuisse se gaudens, humilemque spernens, mox arrogantia magna dixit: Bene sit naturæ, quæ

me in anno fecit te transcendere. Ad hæc canna mellis ostendens fatuæ confusionem suam, dixit: Recte es arundo, sensu arida, et omnis ventositatis impetu agitata. Non attendis quoniam, ut citius cresceres, totum altitudini nihilque profunditati dedisti? Ex quo apparet quod intus es vacua, et foris tumescis infructuosa: mirum sublimes arbores ut plurimum infructuosæ cernuntur; et quæ in granditate germinantur, cito desiccantur. » Deinde idipsum exemplo gallinæ, mellis, pulveris, montium et vallium evincit: « Gallina parvula omni die ovificat, at ingens struthio semel tantum in anno. Me quidem humilitatis firmitas a ventorum tempestate tutatur, tua vero tibi est altitudo tempestas; omnis enim quanto sublimior, tanto fere mutabilior est. Ut quid ergo de altitudine procellosa et vacua gloriaris? et stulte me plenam melle, et stabili brevitate fundatam confundis? Pulvis quippe quanto plus erigitur, tanto magis dispergitur; et fumus quo magis extollitur, amplius annullatur; vapor quoque altus ab æstu consumitur, et concretus in rorem dulcissimum condensatur. Montes aerei sæpe nubis caligine involvuntur, et terrenæ valles rivis inundantibus impinguntur. Igitur incomparabiliter melior est plenæ humilitatis parvitas, quam velox sublimitas omni bono evacuata. Quibus auditis arundo erubuit. »

30. MELIOR EST (Græca addunt enim, datur enim hic causa præcedentis versiculi) QUI OPERATUR, ET ABUNDAT IN OMNIBUS, QUAM QUI GLORIATUR, ET EGRET PANE. — Græca nonnulla significantius habent, quam gloriosus obambulans et egens pane. Solent enim hi gloriosi, desides splendide et magnifice obambulare, ut suum splendorem, imo fastum ostentent, cum interim venter eorum fame taret. « Melior, » id est potior, sapientior, ditior, ventre plenior, mente felicior. Syrus: *Melior est vir qui operatur, et abundans est divitiis, eo qui gravem se facit et indiget cibo.* Huc facit illud Comici: « Præstat divitem esse et popularem, quam nobilem et mendicum. »

Alludit, imo citat *Proverb.* xii, 9: « Melior est pauper et sufficiens sibi, quam gloriosus et indigens pane, » quia pauper per humilitatem et laborem procurat sibi victum et vestitum; gloriosus autem per socordiam et superbiam ostentat se fraudat, seque fame, mœrore et pudore confici permittit. Natus est homo ad laborem, ut ait Job cap. v, 7: ne fugiat ergo sibi congenitum laborem. Beati sunt qui labores manuum suarum manducabunt, *Psal.* cxxvii, 2, non qui desident otiosi. Hinc conclude, meliorem esse agricolam et mechanicum, qui labore suo facit ut non egeat, quam nobilem et splendidum, cujus splendorem lurida fames obscurat. In Palacius. Tropologice, melior et sapientior est qui in hac vita laborat in bonis operibus: « unde certa illi restat spes remunerationis, quam ut in vanitate dies suos consumat, et expers fiat panis illius qui de